

- 41 uotum, de uoto lib. 6. Quæ t̄ quidem tacita professio tunc dicitur fieri, quando constat expressè, quando constitutus in ætate legitime hodie s̄m Conc. Triden. ingrediens Religionem habuit deliberatum animum relinquendi sæculum, & euidenter constat eū vitam uoluisse mutare, ut dicit text. in c. non solum, de regul. in 6. ubi etiam Archid. Hoc autem duobus modis constare potest. Primus est, per propriam confessionem ipsius ingressi, ut dicit Inn. in c. consulti sumus, de regul. ubi in terminis decidit istam
- 42 quæstionem, dicens, t̄ quod susceptio habitus nouitiorum cum proposito relinquendi sæculum, inducit tacitam professionem, & solemnizat uotum, & impedit matrimonium contrahendum, & dirimit iam contractum; constat etiam dicit ipse, quia quando intrat, sic protestatus est, scilicet quod uult sæculum relinquere, & mutare uitam & habitum, & abdicat à se proprietatem bonorum suorum, & similia. Idem tenet Do. Anton. in d. cap. consulti, & in c. statutum, in fi. eod. tit. de regul. Vnde narrat de quodam suo socio, qui ingressus fuit Ordinem montis Oliueti, & dum respiceret retro Bononiam, dixit. Stes cum Deo munde, amodo tecum nullum uolo habere participium, dicit enim per illa uerba Do. Ant. quod ille socius suus, qui uocabatur Fr. Nicola, fuit professus tacite.
- 43 Nona. t̄ Suscipientes habitum Religionis eo animo, ut ad sæculum non redeant, nulla facta ibi professione, tunc ad mitiorem Religionem cogendi sunt transire, si austeritatem religionis, ad quam migrasse noscuntur, seruare noluerint, ita determinat glossa, in cap. super eo, de regul. Et sic patet, quod tacite professus obligatur religioni in genere, licet non in specie, & alia glossa super uerbo, uotum, dicit, ex quo renunciauerunt sæculo generaliter, nondum facta professione alicuius religionis, cogendi sunt remanere, uel ibi, uel ad mitiorem transire, si sponte uoluerint. Hoc idem probat text. in cap. consulti sumus, de regul. ubi dici-

tur, quod si is, conuertitur, proposuerit absolute uitam mutare, ut sub habitu Regulari omnipotenti Deo de cetero famuletur, subdit text. in responsione, quod debet ut regulariter uiuat, ad laxiorem saltem regulam pertransire. Hoc idem probat text. in cap. statum, eod. tit. cū dicit, quod nouitii in probatione positi ad priorem statum redire possunt infra annum, nisi euidenter appareat, quod tales absolute uoluerint uitam mutare, & in religione perpetuo Domino seruire; Fit etiam tacita professio alio modo, prout nos diximus in prima parte lib. 3. cap. 5. num. 26.

- 44 Decima. t̄ Filius adhuc impubes, uotum emisit se seruaturum continentiam, uel ingressum Religionem, cum uenerit ad ætatem legitimam, uel cum pater eius obierit, pater habita notitia uoti, illud reuocauit, quæritur, nunquid pater possit illud irritare contradicendo. Resp. Hugo, quod sic: unde irritato uoto, non tenebitur illud filius seruare: nisi iterum uoueat, uel iuret: quia obligatio semel extincta non reuiuiscit. Nec pater, uel tutor peccat in reuocando: quia hoc sibi conceditur iure, & à Deo. Innoc. in c. scripturæ de uoto, qui etiam dicit, quod si impubes doli capax fecerit uotum abstinentiæ uel peregrinationis, uel aliud, debet complere, postquam paternam exiuerit potestatem, quia potuit se obligare Deo, sicut & diabolo, c. i. de delict. puer. Cum huiusmodi tamen est facile dispensandum, cum sint inexperti, c. uenientis, extra, de uoto. An uero pater consentire dicatur uoto emisso per filium, si scit, & non contradicit? dicit, quod sic: dicitur enim consentire tacite, cap. 1. §. 1. q. 3.

- Vndecima. Quamuis uir possit irritare uotum uxoris ante matrimonium emisum, tamen si ante matrimonium contractum obligauit se t̄ mulier alicui homini, non posset post contractum matrimonium uir eius deobligari ab illa obligatione. Idem credit Rod. si post contractum matrimonium iuraret aliquid alicui, quod ipsa posset contradicente ui-